



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Contra haereses, praesertim Wicleficam seu Hussiticam, per id tempus  
saevientem. 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

rius Parochialis Ecclesiæ seu etiam Capellæ, ordinet, constituat, vel deputer aliquem Religiosum mendicantem vel non mendicantem, ad regendum & gubernandum seu officium Ecclesiæ suam, vel ejus Vicariam seu Capellam, aut \* aliàs vices suas committere talibus præsumat, modo alter idoneus commode haberi poterit, dolo & fraude seclusis.

\* aliàs.

Datum, statutum, & ordinatum Colonia, de consilio & in præsentia Venerabilium virorum Ambasiatorum & Nunciorum Reverendorum Patrum & Dominorum Suffraganeorum Nostrorum, Leodiensis, Trajectensis, Monasteriensis, Mindensis, & Osnaburgensis Episcoporum; ac Capitulum Ecclesiarum earundem, qui ad hoc missi fuerunt in multitudine copiosa; Anno Domini 1423, die Sabbathi, vigesima mensis Martii, sub sigillo Nostro, præsentibus impresso in testimonium præmissorum.

VIII. *Quibus de Concupinariis superius mandatum intelligendum.*

Theodericus, Dei gratia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, Westphaliæ & Angariæ Dux, &c. Cum Nos nuper editioni Nostrorum statutorum Provincialium, in Sessionibus Nostræ Concilii Provincialis solemniter publicatorum, auctoritatem, consensum & operam dederimus: jura tamen & jurisdictiones aut libertates Suffraganeorum Nostrorum, & Ecclesiarum, aut aliorum quorumcunque Iudicum Provinciæ Nostræ, tollere aut lædere, vel eos, ad aliquod verisimiliter impossibile, obligare non intendebamus nec intendimus. Idcirco, ad omnem ambiguitatem tollendam, quæ circa statutum, pridem in hoc sacro Concilio contra Concupinariis editum, possit suboriri, declaramus, hoc statutum ad notorios Concupinarios, Concupinas in eorum habitationibus vel alibi publice detinentes, duntaxat extendi debere. Nolumus etiam, vigore dicti statuti, Nobis aliquam jurisdictionem acquiri vel ad Nos devolvi. Carolinam in generali Concilio Constantiensi approbatam, mandamus ab omnibus observari; ipsamque aliis constitutionibus statutorum Provincialium volumus inferam haberi.

Constitutio Carolina confirmata in Concilio Constantiensi, Sess. 19.

IX. *Contra hæreses, præsertim Wicleficam seu Hussiticam, per id tempus sævientem.*

Hæreses, hæreticorumque Ioannis Wicleff, Ioannis Hufs, & Hieronymi de Praga, doctrinas erroneas anathematizamus, reprobamus, & totaliter condemna-

mus; asserentes cum Concilio generali Constantiensi, quod omnes hujusmodi Articuli, aut sunt piarum aurium offensivi, aut seditiosi, aut scandalosi, vel manifeste à fide devii, seu expressam hæresin continentes; prout in sententia lata contra dictos hæreticos & ipsorum perversa dogmata, plenius continetur. Quapropter universos & singulos, subjectos Nobis, in virtute sanctæ Obedientiæ requirimus, & eis præcipiendo mandamus, quatenus, in spiritu virtutis Dei exurgentes, prædictorum hæreticorum sequaces aut fautores vel receptatores, & eorum doctrinam reprobam cum opusculis memoratis, ubicunque illos seu illas contigerit reperiri, diligenter inquiratis, Nobisque Ordinario loci, aut alicui ex Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ad hoc à Sede Apostolica deputatis vel deputandis, prodatis vel reveletis, atque mediante justitia (si non respuerint) exterminari fideliter procuretis. Nos enim omnibus, per Nostram Provinciam constitutis, confessis & contritis, qui ad hoc operam efficaciter dederint, aut qui in expeditione exercituum contra dictos hæreticos profecti fuerint, de omnipotentis Dei misericordia, & sanctorum ac sanctarum nostrorum Patronorum & Patronarum meritis aut precibus confisi, XL dies Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus: Suffraganeos Provinciæ Nostræ in Domino hortantes, ut his Nostris Indulgentiis similes in suis Civitatibus & Diocesisibus superaddant. Mandantes insuper omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vicariis seu Presbyteris, aliisque Prædicatoribus per Provinciam Coloniensem, quod in singulis sermonibus suis, ad populum faciendis, exhortationes faciant speciales ad inducendum populum congruis modis, ut orationes, jejunia, & alia pia opera, omnesque Presbyteri dictæ Provinciæ Nostræ, Missarum in solemnibus celebrandis, speciales Collectas & suffragia Nostro offerant Salvatori, quatenus Ecclesiæ sanctæ & veris Christicolis contra quoscunque persecutores aut rebelles ejusdem, præsertim dictam fidem impugnantes, largiri dignetur victoriam & triumphum.

X. *Cur singulis feriis sextis, circa meridiem, campana magna pulsetur; & cur item quotidie, mane & vespere, certorum ictuum pulsatio fiat.*

Item deinceps in singulis Civitatum & locorum Provinciæ Nostræ principalibus Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus, omnibus feriis sextis hora meridiei vel circa, in memoriam Passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi,